

**De urticatione : dissertatio inauguralis medico-chirurgica ... / auctor
Ferdinandus Oswaldus Ruh.**

Contributors

Ruh, Ferdinand Oswald.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Gustavus Schade, 1847.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hkzuwdpu>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

20

DE URTICATIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. M. AUGUSTI A. MDCCCXLVH

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

FERDINANDUS OSWALDUS RUH

TORGAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

R. RICHTER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

C. WINZER, MED. ET CHIR. DR.

C. SCHMEISSER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.



DE URTICATONE

DISSERTATIO

IN ALCURIALI MEDICO-CHIRURGICA

QUAE

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FERDINANDAE OBVERSIAE

ET SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. M. AUGUSTI A. MDCCCLVII

H. L. O. S.

PUBLICE DEFENDIT

AUCTOR

FERDINANDUS OSWALDUS RUM

ORGANIS

OPPOSITORES:

R. RICHTER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRAGAE.

C. WINZER, MED. ET CHIR. DR.

C. SCHMIDT, MED. ET CHIR. DR.

RECTORI

ALMAE UNIVERSITATIS OBVERSIAE

V I R O

DILECTISSIMO ATQUE HUMANISSIMO

FRIDERICO TRAUTMANN,

QUI MEAS RES ADJUVIT,

V I R O

DILECTISSIMO ATQUE HUMANISSIMO

NEC NON

QUI MEAS RES ADIUVAT

ALUUVHASCERAP

STUDII MANIBUS

PARENTIS MEI

AUCTOR

HASCE
STUDIORUM PRIMITIAS

GRATISSIMO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIUNCULA.

Remediorum epispasticorum usum non modo antiquissimis artis salutaris fuisse notum, sed omni etiam aevo maximi aestimatum, nemo sane est, qui ignoret. Materiae medicae et chirurgicae thesaurum perlustrantes alia quidem epispastica aliis praelata, imo nova prioribus addita, alia magis neglecta, attamen nullum eorum ex remediorum apparatu plane relegatum esse, videmus. Etiam si generalis epispasticorum effectus, quatenus ad universum organismum spectat, differentias essentielles exhibere non videtur, fateri tamen debemus, alia aliis non solum esse efficaciora, verum etiam nonnullis specifici quidquam inesse, quod efficiat, ut usus eorum singularibus morborum formis magis respondeat, quam reliquorum. Quibus reputatis, haud alienum existimavi, tirocinium meum in describendo remedio epispastico ponere, quod, quum a recen-

tioribus minoris putari rariusque adhiberi soleat, quam a veterioribus, non indignum mihi videtur, ut in pristinam dignitatem restituatur, *urticationem* innuo. Qui forte hasce pagellas legant, benevole excusent velim, si descripta invenerint, quae omit- tenda, vel omissa, quae describenda fuissent.

PRAESENTATIO.

SALUTEM

Remedium epispasticum usum non modo an- tipissimum artis salutaris fuisse notum, sed omni- tiam aevi maxime aestimatum, nemo sane est, qui ignoret. Materiae medicae et chirurgicae the- saurum perstrantes alia pulchra epispastica alia praefata, imo nova prioribus addita, alia magis neglecta, attamen nullum eorum ex remediis apparatus hanc reprobam esse, videntur. Etiam si generalis epispasticorum effectus, quatenus ad uni- versum organismum spectat, differentias essentialiter exhibere non videtur, lateri tamen debemus, alia aliis non solum esse efficaciora, verum etiam nonnullis specificis quidam inesse, quod efficiat, ut eas eorum singularibus morborum formis magis re- spondeat, quam reliquorum. Quibus reprobatis, hanc alienam existimavi, thesaurum meum in describendo remedio epispastico ponere, quod, punit a rege-

§. 1.

Epispastica remedia generatim ea nobis dicuntur, quae, cutis irritationem, ruborem, inflammationem efficiendo, partim humorum affluxum ad eam alliciunt et secretionem pathologicam, aut bullas aut pustulas, liquore vario impletas, aut, si fortius atque diutius agant, suppurationem inducunt, partim stimulos morbificos ab aliis organis, tam externis quam internis, derivant, itaque antagonismi lege vim salutarem exserunt. Veteriores epispasticorum notionem limitibus aliquanto arctioribus restrinxisse videntur; Galenus enim (de curat. morbor. sect. 50, c. s.) „epispasticum, ait, specialiter nominari medicamentum aridum inspersione ad malignorum ulcerum curationem non inefficax.“ Nostrates notionem amplificarunt, quippe qui non arida tantum sed humida quoque, imo liquida remedia (oleum crotonis, oleum sinapeos cet.) huc referant.

§. 2.

Urticatio, remediis epispasticis adnumeranda, auctore Castellio (Lexicon medicum. Norimberg. 1682. pag. 1189) graece ἀκαληφισμός dici posset, ab „ἀκαλήφη“

urtica. Idem auctor operationem esse dicit chirurgicam, qua membra corporis urticis recentibus percutiantur ad revocandum calorem; provocans ad ea, quae Celsus (Lib. III. c. 28) hac de operatione retulit. Facile autem est intellectu, definitionem a Castello editam eatenus esse mutandam, ut operationem non ad revocandum calorem, sed ad efficiendam cutis irritationem quandam institui dicamus; ceterum operatio chirurgica sensu strictiore perperam nominatur, quippe quae neque propriis perficiatur instrumentis, neque morbis externis solis mederi conetur.

§. 3.

Urticationis, ut remedii epispastici, usus ad curanda varia morborum genera jam vetustissimis medicis, quod supra adnotavi, innotuit. Quid mirum! Vis illa urens urticae neminem latere poterat, qui semel manu plantam tetigerat. Praeterea antiquiores haud dubie eam ob causam urticationem praeferebant multis aliis epispasticis, quod illa promptissime effectum suum exserit, haec autem magis minusve longo indigent tempore, priusquam acereorum principium debitam efficacitatem manifestat. Celsus, qui primus distinctam urticationis mentionem fecisse videtur (L. c.), hanc agendi rationem omnium reliquorum epispasticorum usui praeponendam censet, si post apoplexiam paralysis singularium membrorum remanserit. Magnam dignitatem veteres urticationi tribuisse, ex eo ratiocinari licet, quod Aretaeus Cappadox, qui mendendi simplicitate excelluit, multaque supervacua e praxi medica submovit, hoc remedio medicum carere vix posse, censebat. Saeculo decimo sexto Cardanus, Paracelso

aequalis, in laudanda urticatione modum adeo excessit, ut verba ejus jocosa magis quam vera videantur; mammas enim puellae virginis, si urticis caedantur, lac edere posse, affirmat (cf. Sprengel, *Gesch. d. Arzneik.* 1801. Bd. III. S. 334). Utrum auctor haec omnino finxerit, an specie deceptus fuerit, dirimere nequimus. Idem urticationem remediis melancholiae medentibus interponit. Baco Verulamiensis (*Opp. omnia.* 1665. pag. 548), Caldani auctoritate nixus, iis remediis urticationem accenset, quae facultatem habeant attractivam ad partes exteriores et debitam nutrimentorum distributionem per corpus adjuvent. Postea in curandis morbis alia epispastica palmam praecipere coeperunt urticationi, quae, quamquam debitus honor nequaquam ei derogabatur, rarius in usum vocari solebat. Utrum causa in eo fuerit, quod urticationis administratio quandam crudelitatis speciem prae se ferre medicis videbatur, an in eo, quod non quovis anni tempore urticae recentes in promptu sunt, in suspenso relinquendum est. Morbi, quos hoc remedio impugnare consueverant medici, maximam partem chronici erant, cum diminuta vitalitatis manifestatione conjuncti, imprimis paralyses, contra has enim medio saeculo superiore v. Swieten (*Commentar. in Herm. Boerhav. Aphor.* T. III. p. 388), Hufeland, Arnemann (*Hufeland's Journ.* Bd. XV. St. 2 S. 154), Behr, alii urticationem commendabant et cum successu adhibebant. Praeterea id auxilii genus contra rheumatismos pertinaciores, impotentiam virilem, dysuriam, melancholiam, lethargiam in usum vocabatur, quod opera therapeutica et pharmacologica tum temporis edita nobis persuadent. Applicatio urticationis contra acutos morbos recentiori demum aevo deberi

videtur, nam veteres nulla hujus testimonia scripta reliquerunt. Spiritus, qui per bonam de urticationis usu in morbis febrilibus commentationem edidit (Urtication in fieberhaften Krankheiten. S. Rusts Magazin, Bd. XVII, I. 1824. S. 150 ff.), primum eorum, qui in morbis acutis hoc remedio usi sint, fuisse dicit Homobonum Pisonem, professorem Patavinum, cujus „Spicilegium curationum morborum“ anno 1742 in lucem edebatur. Elidaeus Paduanus urticatione utendum esse censuit, ad variolarum efflorescentiam apud teneros infantes adjuvandam. Multo majorem dignitatem Schwarz (S. Hufelands Journ. XV. St. 2. S. 134 ff.) ei vindicavit, quippe qui in omnibus casibus, quibus celeri opus sit auxilio, ut in apoplexiis, cutis exanthematibus subito repressis et cet. nullum remedium aptius esse dicat, ad vires vitales refocillandas et cutis actionem instaurandam; vesicantia hisce in casibus longe ei cedere, affirmat. Spiritus, vestigia ejus secutus, in pectoris inflammationibus, scarlatina, morbillis, typho, prosopalgia urticationem administravit eventusque tam salutiferos obtinuit, ut summa admiratione digni sint ejusque methodus aemulationem mereatur.

§. 4.

Nonnulla sunt urticae genera, quae hunc ad finem adhiberi solent; aptissimae omnium habentur *urtica urens* et *dioica* Willd. nec non *urtica populifera* Linn. Tertiam Wallroth prae ceteris commendat (Schedulae criticae Horae Halensis. I. Hal. 1821); „reliquis enim, inquit, fortius urit mihi in casibus apoplecticis curandis saepius utilissima fuit.“ Folia et caules harum urticarum

setulis acutis, rigidis, satis pellucidis, quae basi paulo crassiori insident, muniuntur. Behr, qui explorationem accuratiorem instituit (Rust's Magazin. Bd. XVII. St. 2. S. 380), haec tradit: circa basin, quae pariter atque apex canalem complecti videtur, facta discisione massa quaedam pulposa, interdum humoris guttula scaturit. Basi vulsellae ope compressa, protinus in apice setulae, dummodo planta omnino recens sit, guttula pellucida apparet. Si setula cuti infixam celeriter retrahitur, non raro gutta apici inhaerens observatur dolorque et tumor vulnerationem excipientes minus graves evadunt. Quodsi liquor e setulae apice expressus acu excipitur cutique inseritur, statim, tamquam planta ipsa cutem asserit, sensatio ardens, postea pruriens exoritur et interposita circiter horae minuta tumor rubicundus super cutem emergit, qui aegrotos ad scabendum et vellicandum compellit. Contra sapor, acre quoddam in setulis inesse, non indicat (Behr l. c.). *Urtica urens* Willd. aculeos habet majores et numerosiores, quam *dioica*, quamobrem illa ad urticationem magis apta est. Observatum esse dicitur, urticas mox ante tonitru decerptas et ad cutem applicatas, intensius urere celeriusque rubefacere, contra post pluviam carptas, imprimis cum tonitru conjunctam, levissimum praestare effectum. Quodsi observationes, quatenus ad liquorem e setulis scaturientem respiciunt, cum vero congruunt, quod quidem propter dexteritatem, qua illae observationes institutae esse videntur, dubitare non licet, facile modus illustratur, quo urticae in corpus agant; persuasum enim habere debemus, fluidum cum cute communicari, quod irritationem chemico-vitalem efficiat. Behr inter microscopica quidem experimenta humorem

propullantem non animadvertit, verumtamen ejus praesentiam in dubium non vocat. Ubi cutis tangitur urticis, magis autem, si adversis urticarum setulis permulcetur, aut caeditur, aculei facile in cutem descendunt et sensationem omnibus notam efficiunt, nimirum ardorem et prurimum, quibus in unoquoque loco vulnerato tumor parvus, albidus aut pallido-rubellus, duriusculus, limitibus circumscriptus, succedit. Si vulneratus a vellicando abstinet, aut frigus blandave remedia adhibet, intra unam alteramque horam tumor subsidit dolorque evanescit; sin scabendo tentatur, ambitus tumoris atque rubor increscunt, pulsatio superficialis accedit et inflammatio evolvitur erysipelatosae, neque diuturna neque certa stadia emetiens, quippe quae tantum a topicae irritationis intensitate pendere soleat. Locorum vulneratorum irritatio tanto vehementior est, quanto majores et rigidiores urticarum sunt setulae; plantae recentes et adultae maximum, immaturae et siccatae levem aut nullum omnino effectum proferunt. Cutis quoque indoles haud parvi est momenti. Epidermis callescens volae manus hominum vitae laboriosae duriori deditorum, quominus setulae cutem vulnerent, impedit; contra epidermis tenera, mollis, qualis esse solet in facie interiore crurum et brachiorum, in ventre et dorso, facillime urticarum aculeos, in cutem descendentes, nervorum tenuissimorum vasorumque capillarum reactiones supra memoratas evocare, patitur. Praeterea nemo non intelligit, reactionis gradum ad modum variare pro cutis incitabilitate, quae nonnullis in casibus tam singulari excellit idiosyncrasia, omnem explicationem respuente, ut vel minimi stimuli irritationem vehementem ac diuturnam inferant. De istis hominibus recte metuit.

Baco Verulamiensis, ne urticatio plus detrimenti quam utilitatis inferat: „Suspecta est illa, inquit, ne propter venenatam nonnullam qualitatem urticae serpigines usu frequente inducat et mala cutis.” Non adeo quidem frequens illa est idiosyncrasia (nimia cutis vulnerabilitas), attamen unicuique medico cognita et apud mulieres crebrius quam apud viros obvia.

§. 5.

Effectus urticationis secundarios quod attinet, non alii sunt, ac reliquorum epispasticorum, de quibus nunc exponam.

Primum, quod nobis occurrit, phaenomenon secundarium, in excitatione universi systematis sensiferi et irritabilis cernitur, quam eo graviolem esse oportet, quo major topicae irritationis intensitas atque extensitas, quo promptior partis irritatae sensibilitas et quo alacrior utriusque systematis incitabilitas locum habet. Excitationi systematis nervorum vasorumque illud tribuendum est, quod interdum sudores urticationem sequuntur. Neque minus inter secundarios effectus referenda est irritatio sympathica organorum longius distantium, quae cum partibus urticatione lacessitis commercium alunt physiologicum. Quam sympathicam vel consensualem irritationem non proprium esse epispasticorum effectum, sed quibuscunque remediis, imo internis etiam, evocari posse, inter omnes certo constat.

Quum corporis partes non modo consensum, verum quoque antagonismum inter se alant, urticatio, excitata actione antagonistica, derivationem ab aliis partibus prae-

stat, quem ejus effectum non minus salutarem esse putamus, quam mere excitantem. Praeterea huic urticationis virtuti aliquid proprii inest, quo ab aliis epispasticorum generibus haud mediocriter discrepat. Primo loco ponenda est celeritas, qua irritatio, ergo antagonisticus quoque effectus inducitur; hac parte cauteria tantum actualia urticationi praecellunt et ea remedia, quae immediata emanatione thermogenii iis inhaerentis irritare solent. Porro singulares illae cutis intumescitiae mediocriter elevatae et limitibus circumscriptae, quae urticationem semper sequuntur, nullo alio epispastico producuntur; causa hujus rei in eo cernitur, quod irritamentum per urticas cum corpore communicatum non supremae inhaeret cuti, sed in ejus substantiam descendit, itaque ab interioribus versus exteriora agit. Singuli urticarum aculei, dum pluribus locis discretis in cutem demittuntur, acriorem evocare valent sensationem, quam sinapismi, radix armoraciae, cantharides, id quod nostri remedii efficacitatem non mediocriter evehit. Quodsi urticationem cum acupunctura comparare velis, hanc utriusque rationem esse videbis: acupunctura nervos quosdam singulares, situm habentes profundiores, prae ceteris irritare molitur, urticationem autem retia nervorum per cutis superficiem discurrentium; e quibus patet, urticationis effectum, intensitate vix minorem, quam acupuncturae, per ambitum multo majorem diffundi. Duo denique supersunt irritamenti genera, quibus analogam habere licet urticationem: primum insectorum nonnullorum, quorum aculeus in cutem demittitur, ut apum, vesparum, crabronum etc. puncturae, quae violentiorem quidem, sed magis circumscriptum, quam urticationem, effectum pro-

ferunt; deinde irritamentum illud morbosum, quod affectio cutis exanthematica infert, quae urticaria nobis vocatur. — Quemadmodum urticationis effectus, ut supra adnotavi, magna cum rapiditate intrat, ita etiam brevi praeterire solet; utramque ab una et eadem causa pendet; incitamentum nimirum summa excellit volatilitate et organicae mutationes, quas provocat, tam exiguae sunt, ut breve temporis spatium ad eas tollendas normamque restituendam sufficiat. Modo una tantum, modo aliquot horis opus est, ut omnia mutationum, quas urticatio induxit, vestigia prorsus deleantur. Haec remedii nostri indoles haudquaquam vilipendenda est. Singularis enim efficacitatis fugacitas, quae corporis organisationem obiter tantum offendit, vitam vero nerveam et vasorum capillarium actionem, uti videtur, non minus per acrimoniam vegetabilem aculeis urticarum insidentem dynamice incitat, quam mechanice per aculeorum cuspides, multis in casibus urticationi prae aliis epispasticis principatum comparat, singulatim iis in exemplis, quibus irritatione intensiore et repetita opus est.

§. 6.

Magnus tam chronicorum quam acutorum morborum est numerus, in quibus medici urticationem partim cum successu adhibuerunt, partim ratiociniis nixi commendarunt. Nec in variis nec in iisdem quidem morborum generibus semper certum et exoptatum esse, vel esse posse hujus medii effectum, facili intelligitur negotio. Deinceps afferre liceat morbos singulares, quibus curandis

urticatio magis minusve consentanea esse videtur. *Paralyses* caput omnium, qui urticationem adhiberi patiuntur, morborum constituunt, jam supra adnotavimus, nostrum remedium, prae ceteris contra morbos paralyticos administratum, haud raro prosperrimum obtulisse eventum, id quod observationibus literis consignatis extra dubitationem ponitur. Urticatio in morbis paralyticos non minus locali nervorum periphericorum irritatione agit, quam stimulo per sympathiam ad nervorum origines atque truncos propagato. Sin accuratius meditamur, quam multiplices et quam diversae exstent causae, quae morbos paralyticos inferre possint et revera inferant, facile nobis persuadebimus, non unamquamque paralysin ita esse constitutam, ut urticatio ei succurrere valent. Nominatim effectum hujus remedii pariter ac aliorum omnium, tam externorum quam internorum, irritum esse oportet, si irreparabilis alienatio partis cujusdam cerebri aut medullae spinalis, destructio organica, emollitio aut tabescentia, si tumores in cerebrum, aut medullam spinalem, aut truncos nervorum quorundam pressionem exhibentes, si effusiones copiosae liquoris serosi, cruenti, purulenti cet. paralysin effecerunt. Difficillimum quidem esse scimus, dictas causas in omnibus, quibus subsunt, casibus explorare; at si exploratae sunt, itaque diagnosis extra omnem dubitationem posita, nemo tam simplex remedium, urticationem, auxilium praestitutum esse opinabitur. Sin haec mittamus, non possumus non fateri, plura paralyseos genera superesse, quae urticationi impugnari queant ac debeant. Primum paralyses commonefacio ex nervorum adynamia, quae, membra singularia

obsidentes, haud raro insultus apoplecticos praegressos sequuntur, etiamsi partium centralium systematis nervosi prius affectarum functiones ad normam reverterunt, id quod jam Celsus adnotavit. Behr (Rust's Magazin XVII. S. 374) adhibita urticatione hominem in integrum restituit, quem post apoplexiam hemiplegia ad sensum (anaesthesia), salvo motu voluntario, tentaverat. — Deinde huc referendae sunt paralyses inductae causis insolitis celeriter praetereuntibus, vitam nervorum exhaurientibus vel opprimentibus, quales sunt corporis mentisque contentiones gravissimae, animi pathemata vehementissima, nempe deprimentia. Magnopere autem spes auxilii infringitur, si causae antea memoratae diuturnam et continuam in corpus efficacitatem exseruerunt. Respondere etiam urticatione dicitur paralysibus, quae febribus nervosis malignis et morbis apyreticis diuturnis originem debent; at de effectu ejus in hoc paralyisium genere, quod equidem scio, nihil certi adhuc diremtum est. De iis paralysibus, quae ex materia morbosa specifica, aut dyscrasia nervos adorta, e. gr. ex rheumaticis vel arthriticis causis, ex repercussione morborum exanthematicorum cet. profectae sunt, infra nonnulla subjiciam, ubi de his morbis seorsim verba facturus sum. Paralyses, quarum causa in veneno metallico, ut cupro aut plumbo, posita est, urticatione posse sanari, sunt qui affirment; quum autem certis destituamur observationibus, id comprobantibus, res suspecta esse videtur; diffitendum enim non est, venena illa nervorum vitam plerumque eo gravius opprimere aut extinguere, quo tardius vim suam in organismum exercuerint. Ceterum neminem vituperandum esse ju-

dico, qui hisce in paralysibus urticatione utatur, nam solae observationes et experimenta dirimere debent, quid praestare possit, quid non possit. Haud temerarium est opinari, certos fines, quibus urticationis effectus circumcludatur, aliquando posse constitui, si viam indigitatam strenue persequamur. Spiritus (L. c.) remedium nostrum generatim in iis tantum casibus auxilium polliceri existimat, in quibus paralysis nondum inveteraverit, cui sententiae in universum nos quoque suffragari haud dubitamus.

Jam quaestio sequitur, diremtu difficillima, utrum urticatio sexualium virilium paralysis, seu impotentiae virili mederi queat, quod priorum saeculorum medici nonnulli persuasum habuerunt. Si ad fontem respicimus, ex quo virilis impotentia profluit, vel sublatam seminis secretionem ei subesse videmus apud homines decrepitos, sive aetate proveciores, sive juniores, vel paralysin eorum nervorum, qui per musculos ischio-cavernosos et bulbo-cavernosos distribuuntur. Prima conditio, quae cum vegetabilium deflorescentia apte comparatur, vix ullo auxilio seminis secretionem instaurari patitur, quare urticationi locus esse non potest; conditio altera autem causam et gradum mali respici jubet, id quod in omnibus paralysibus necessarium esse, nemo ignorat. Plerisque in casibus excessus in Venere hujus paralyseos continet causam et nervorum debilitatem inde profectam cum substantiae nerveae tabescentia conjunctam esse, probabile est, quae, quominus urticatio utilitatis quidquam posse praestare, plane impediat. Altera parte mera genitalium virilium debilitas, torpor, imo paresis

incipiens, non raro aliis remediis irritantibus auferuntur, aut per aliquod tempus saltem depelluntur, quamobrem urticationem quoque salutiferam fore, merito ratiocinari licet. Ceterum vis urticationis aphrodisiaca multorum auctorum fide dignorum testimoniis confirmata est; quae si ita se habent efficacitas ejus ad tollendas genitalium paralyses aliquanto probabilior redditur, quoniam coeundi instinctus saepe facultatem supponit, huic instinctui satisfaciendi. Quodsi genitalium debilitas, non completa paralysis, post graves atque diuturnos morbos accessit, neque evanuit, si reliquum corpus perfectam instaurationem obtinuit, itidem ad urticationem, ut salutiferum remedium, confugiendum est. Si qui coitum hisce in casibus urticationi praeferendum esse statuunt, meditentur necesse est supervacua esse remedia, si partium genitalium vigor eatenus restitutus sit, ut coitus exerceri queat.

Dysuriam et ischuriam urticatione sublatas esse, plures memoriae tradiderunt (Hecker, Arzneimittellehre I. S. 646). Priusquam vero de hac re judicium feramus, scire oportet, non unamquamque urinae retentionem illi remedio auxilium debere, sed respiciendam esse causam, quae eam induxerit. Quae si reputamus simulque agendirationem, quae urticationis est, intuemur, facili negotio intelligimus, nonnisi dysuriam et ischuriam paralyticam atque spasticam hoc auxilii genere posse sublevari aut plane depelli. Quodsi enim urinae retentio ex causis mechanicis aut inflammatoriis originem duxit, quod non raro evenit, urticationem omnino noxiam existimare debemus, quippe quae irritationem efficiat, sanguinis con-

gestionem atque inflammationem alliciat levesque aut mediocres molestias, quibus aeger conflictatur, ad summum fastigium evehere possit. Spasticam urinae retentionem praecipue hoc remedio auferri, observationes docuerunt; causa haud dubie in stimulorum morbificorum derivatione cernitur, quae administrata urticatione ab interioribus partibus ad exteriores efficitur. Sin remedium hocce ischuriae paralyticae medetur, quod multo rarius contingit, non derivatio momentum agens est, sed irritatio, quae, inde a nervis cutaneis procedens, organorum uriniferorum nervos reficit eorumque functiones instaurat. Qui hisce in casibus urticationis effectum praesagire velit, aequae ac in superioribus causas, gradum atque diurnitatem paralyseos respiciat necesse est. Ceterum effectus, quem urticatione in organa urinifera et sexualia exserit, quod ad indolem idem esse videtur, quoniam utrumque systema iisdem agentibus et excitatur et deprimitur.

Quibus expositis, ad alias morborum species gradum facio, in quibus curandis maxima urticationis vis esse dicitur, ad rheumatismum nimirum et arthritidem. Proximum quidem est, ut suspicemur, nostrum remedium praecipue chronicae utriusque morbi formae respondere, utpote quae frequentissime cum paralyticis affectionibus complicetur (Hufeland, Journ. XI. 3. S. 116); at, quamquam ea, quae modo retuli, a veritate aliena non sunt, tamen viri magna quidem auctoritate (S. G. Vogel, Handbuch der pract. Arzneiwiss. II. 3. Ausg. S. 209.) contestantur, in secundo rheumatismorum acutorum stadio, postquam tumor inflammatorius, rubor aliaque phaeno-

mena cesserint, sensibilitas autem morbosa partium affectarum, motum earum prohibens somnumque auferens, remanserit, magnam urticationi efficacitatem esse assignandam. Fortasse salutaris ille usus, quem urticatio in morbis rheumaticis praebet, cum theoria conciliari potest, quam Schoenlein (Pathologie und Therapie. Th. II. 1839 S. 170.) de rheumatismi natura profitetur. Cutis electricitas, inquit, mirum in modum est mutata; cutis enim, quae statu normali est conductor et electricitatem in corpore evolutam foras emittit, in rheumatismo repente evadit isolator; electricitas ergo sub cute colligitur partimque dolorem vehementissimum gignit, quo aegroti cruciantur, partim hydropsiis acutis rheumatismo acerbiori frequenter supervenientibus, ansam praebet. Quae cum ita se habent, temerarium non videtur ratiocinium, urticationem cutis alienatam actionem suspendere, i. e. isolatorem rursus mutare in conductorem eoque modo rheumatismi fontem praecludere. Neuralgiis etiam, quae haud raro e rheumaticis causis emergunt, aut rheumaticas affectiones excipiunt, urticatio nonnunquam egregie opitulatur, id quod casus quidam prosopalgiae Fothergilli, quem Spiritus (L. c.) descripsit, certissime confirmat. Paucis hunc casum adumbrare liceat: puella, viginti annos nata, tenera et admodum sensibilis, perfrigerio in prosopalgiam Fothergilli incidit. Quum tormenta atrocissima nullo remedio possent demulceri, ambo erura, marmoreo frigore correpta, quorum calor nullo modo redintegrabatur, repetitis vicibus caedebantur urticis. Tertia demum hujus remedii applicatio ruborem caloremque pedum revocavit, quo facto prosopalgia feliciter depellebatur.

Inter morbos febriles, quibus urticationis usus consentaneus esse dicitur, acuta exanthemata haud infimum locum tenent, sive ab eruptione prohibita, sive post eruptionem reperiuntur. Quod ad primum attinet, neminem terrentia fugiunt symptomata, quae exanthematum eruptionem saepe antecedunt, ut spasmi cujuslibet generis, deliria, capitis artuumque dolores inimicissimi, sopor, pectoris oppressio cum pulsu parvo, suppresso, frequentissimo. E grassantium morborum constitutione plerumque de fonte horum symptomatum (nimirum si nulla adhuc exanthematis vestigia in conspectum prodierunt) concludere licet; etenim si acutorum exanthematum epidemiae vigent, magna cum probabilitate ratiocinabimur, relata illa phaenomena impeditae exanthematis eruptioni esse imputanda. Non semper solita, quibus utimur, remedia sufficiunt, ut hostis occultus in apricum eliciatur. Spiritus ad hunc finem consequendum urticationem omnibus aliis remediis praestare contendit pluribusque observationibus suam sententiam fulcit. Is enim altero in casu exanthema scarlatinum, in altero erysipelas suppressum ad plures superficiei externas partes restituit eaque methodo in casu priore soporem valde periculosum, in secundo pectoris inflammationem vehementissimum, summa cum apathia complicatam, profligavit (L. c. S. 434 u. 438). Non minus prosperum urticationis effectum Schwarz (Hufeland's Journ. XV. St. 2. S. 155) post suppressam scarlatinam observavit; quamquam enim reperiuntur exanthemata ad cutem non revertentia, tamen specifica organi cutanei irritatio urticis inducta, cum rubore ac tumore conjuncta, vitae periculum depulit, quod cum

deliriis, extremitatum algore, sublata deglutiendi facultate, animi deliquiis, ingente anxietate imminebat. Jtard (Die Krankheiten des Ohrs und des Gehörs; a. d. Franz. Weimar 1822. S. 446) aliquoties, rubeolis celeriter repressis, totam corporis superficiem urticis caedi jussit, deinde diaphoretica exhibuit eventumque saluberrimum tali ratione obtinuit. Spiritus (L. c. S. 444) eodem remedio puerum, quem morbillorum suppressio in extremum vitae periculum adduxerat, salvum reddidit. Exanthema hoc in casu adhibita urticatione ad cutem restituebatur. Plura exempla descriptis similia alii medici apposuerunt.

Inter reliquos morbos febriles solus propemodum typhus paralyticus medicorum animos ad urticationem administrandam invitasse videtur; soporem enim febrilem, quem hocce remedio depulsum esse, Piso, professor Patavinus, affirmat, nihil aliud nisi typhum fuisse, probabile est. Ex numero observationum a recentioribus medicis traditarum, maximi momenti eae sunt, quas Spiritus (L. c. XVII. S. 150. u. XX. S. 439) nobiscum communicavit. Quamquam pluribus in casibus summum imminebat vitae periculum, id quod pulsus maxime irregularis, delirium continuum, vultus rigidus, petechiae, carphologia, involuntariae alvi excretiones indicabant, tamen urticatio alternis horis repetita tantum auxilii praestitit, ut non modo vita servaretur, sed etiam valetudo integra restitueretur. Exemplum notatu haud indignum, quo capitis dolor inimicissimus, perfrigerium secutus, nostro remedio profligabatur, Setti (Ital. med. chirurg. Biblioth. I. I. S. 180) descripsit.

In casibus, qui ad suppressa vel retenta exanthemata, nec non ad typhum paralyticum spectant, prosper effectus non semper urticationis administrationem immediate excepit. Nonnulli aegrotantes, gravissime afflicti et conscientiae expertes initio in urticationem neque reagebant, neque cutis efflorescentiam rubore ac tumore conspicuam experiebantur, qui casus equiparandi sunt iis, in quibus vesicantia imposita propter magnam cutis anergiam effectum debitum recusant. Nihilominus, urticatione per horarum dimidiarum vel integrarum intervalla denuo adhibita, cutis receptivitas ita mutabatur, ut exoptatus appareret eventus, quem modo sensus irritamenti haud ingrati, modo inquietas magna, modo dolor ingens, quo commoti aegrotantes hanc operationem detrectare conabantur praenunciabant.

Omnibus hisce in casibus, pulsus antea exilis in pleniorum, irregularis in regularem, nimis frequens in rariorem commutabatur et, vel emergentibus sudoribus vel non emergentibus, quies in locum magnae inquietis successit, quae somnum placidum et recreantem laborantibus subvehebat. Adnotandum vero est, semel adhibitam urticationem nunquam suffecisse, quippe cujus effectus nimis fugax sit atque transitorius; operatio igitur pro vario receptivitatis gradu, quem cutis ostendebat, alternis, ternis aut quaternis horis repetenda erat.

§. 7.

Hactenus de iis tantum morbis disserui, in quibus urticatio modo majore modo minore cum fructu a me-

dicis est administrata, quaeritur autem, num fines, quibus hujus operationis effectus continetur, latius extendendi sunt. Experimenta tantum iterum iterumque instituta, ut supra adnotavi, hanc quaestionem dirimere possunt. Quum irritatio cutis, quam urticatio inducit, magnum per ambitum possit extendi, imo propter singularem effectus naturam atque fugacitatem per totam corporis superficiem sine ullo periculo diffundi, magna cum probabilitate ratiocinari licet, eandem in multis aliis morbis cum successu posse administrari, in quibus alia remedia epispastica in usum vocari soleant utilitatemque praestent. Si vera sunt, quae Cardanus retulit, mammas puellarum castarum urticis caesas lac edere, nemo sane diffitebitur, hocce remedio suppressam lactis secretionem restitui morbosque sanari posse, qui ex illa suppressione originem duxerint. Quae si observationibus confirmantur, dubitare vix licebit, urticationem in morbis systematis uterini e. c. in amenorrhoeis et menostasiis, fore salutiferam, eo magis, quod recentiores remedium horum morborum in mammarum irritatione cerni, existimant.

Quodsi res in facto positas, quarum mentionem fecimus, probe pensitamus, metastases morborum ab externis partibus ad internas conversorum, generatim ad urticationis administrationem nos invitare debere, facile intelligimus, prae omnibus metastases erysipelatis atque arthritidis, quos morbos mira fugacitate excellere, inter omnes constat. Imo Setti (L. c. S. 181) commemorat, applicationem hujus remedii ad revocandam scabiem suppressam esse laudatam. Haud minorem efficacitatem urticatio polliceri videtur in morbis neuralgicis atque spasticis,

quorum causa in nimia systematis nervorum incitabilitate, aut in metastasibus posita est, id quod ad nonnulla cephalalgiae genera, ad asthma spasticum et cardialgiam referre licet.

Miccoli jun. hoc remedium egregio cum fructu contra epilepsiam et Miccoli sen. contra atrocissimas convulsiones, quae crustae lacteae repercussae originem debebant, adhibuerunt (Setti, L. c. S. 183).

Partim fugacitas effectuum, partim illud momentum, quod urticatio nervorum incitabilitatem minime per hyperstheniam hebefacit vel exhaurit, itaque repetita explanatione novam semper et alacrem nervosi systematis excitationem inducit, tantam dignitatem huic remedio conciliant, ut plurimis epispasticis praeferri mereatur. Quibus pensitatis, fide non prorsus indigna videntur, quae Cardanus et Miccoli sen. scribunt, quorum ille melancholiam urticatione curandam suadet, hic soporem, qui insanabilis putaretur, a se sublatum esse, affirmat.

Sub finem opusculi non possum, quin morborum inflammatoriorum et nervosorum mentionem faciam, qui cum scorbuto aut feбри putrida complicati, solitorum epispasticorum applicationem periculosissimam reddunt, quoniam ulcera gangraenosa facillime exoriuntur. His in casibus urticationi locum esse nemo non intelligit.

§. 8.

Quotiescunque urticatio repetitur, recens decerptis urticis opus est, quavis enim operatione altera aculeorum pars diffringitur, altera ita flectitur, ut in cutem descen-

dere eamque irritare nequeat. Quod ad quantitatem attinet, talis urticarum quaque vice adhibendarum numerus sit, ut puncturae quam maxime multiplicentur, unaque ab altera vix minimo distet intervallo; quem ad finem consequendum, dimidio fere maniplo opus est. Partes vel mediocriter caeduntur urticis, vel, adversis earum setulis, permulcentur. Respecto denique applicationis loco, totus truncus et extremitates urticationi patent; inflammatis partibus esse parcendum, vix opus est, quod commemorem.

V I T A.

Natus sum ego Ferdinandus Oswaldus Ruh die duodecimo m. Julii anni undevicesimi Torgaviae, patre Augusto Friderico, prius nosocomii militaris inspectore, eheu morte ante sexennium mihi erepto, matre Carolota e gente Schaale, quam deus optimus maximus vivam salvamque mihi servavit. Confessioni evangelicae addictus, primis litterarum elementis imbutus sum Torgaviae, quo facto ibidem adii gymnasium, quod tunc temporis rectore Mueller florebat, cui viro clarissimo, uti omnibus gymnasii praeceptoribus maximas habebō gratias. Per annos septem ibi versatus, m. Aprili a. MDCCCXXXIX, testimonio maturitatis instructus, inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum et per quadriennium hasce frequentavi scholas:

Cel. Beneke de logice et psychologia; Cel. Preufs de historia; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de pathologia generali, de Celsi libris, de historia medicinae; Ill. Link de botanice, historia naturali, de toxicologia; Ill. Mitscherlich de chemia tam organica quam anorganica; Ill. Schultz de botanice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, anatomia organorum sensuum; Ill. Mueller de anatomia et universa et comparata et pathologica, nec non physiologia, quo eodem una cum Ill.

Schlemm duce cadaveribus rite secandis operam dedi; Ill. Mitscherlich jun. de materia medica; Cel. Eck de semiotice et therapia generali; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Beat. Kluge de arte fascias chirurgicas rite imponendi, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de aciurgia; Cel. Froriep de aciurgia.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis, medico-forensibus interfui Virorum Illustrissimorum Truestedt, Schoenlein, Dieffenbach, Juengken, Wolff, Wagner, Kluge.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, maximas ago semperque habeo gratias.

Postea in nosocomio caritatis per integrum annum versatus, per tres annos Vitebergae chirurgi centuriati munere, duce Exper. Bertram, viro humanissimo et optime de me merito, functus sum.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina ac chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. **Hernia, etsi mobilis, tamen incarcerata esse potest.**
2. **Partus tardus operationem non indicat.**
3. **Signa acustica in morborum pectoris diagnosi plus valent quam subjectiva.**
4. **Graviditatis ineuntis non certa signa existunt.**
5. **Blennorrhœa et catarrhus idem est.**
6. **Ulcera syphilitica sine summo periculo topice nunquam curantur.**

W. H. S.

W



